C TEMPERAMENTVM.

Ammi ſemen in calefaciendo deſiccandoq; ex ordine tertio intenſo exiſtit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vis ſemini excalfactoria, feruens & exiccãs. Facit ad tormina, urinæ difficultatẽ, uenenatorũ morſus cum uino potum. Menſtrua ciet. Miſcetur derodentib. ex cantharidibus confectis medicamentis, ut inde exortis urinæ difficultatibus reſiſtat. Sugillata cum melle illitum tollit. Colorem potum & inunctũ in pallorem mutat. Suffitum cum uua paſſa aut reſina uuluas purgat.

EX GALENO.

Herbæ quam uocant Ammi, ſemẽ maximè eſt utile. Facultatis eſt excalefactorię & deſiccatoriæ, tenuiumq; partium. Sed & guſtu ſubamarũ eſt, & acre. Et clarum eſt quod digerat, & urinam moueat.

EX PLINIO.

Inflationes & tormina diſcutit. Vrinam & menſtrua ciet. Sugillata & oculorum epiphoras mitigat. Cum lini ſemine ſcorpionũ ictus in uino potum drachmis duabus: priuatimq; ceraſtarum cum pari portione myrrhæ. Colorem quoque bibentium ſimiliter mutat in pallorem. Suffitum cum uua paſſa, aut reſina, uuluas purgat. Tradunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

DE ARO. CAP. XXII.

NOMINA.

D *Pes uituli. Serpentaria minor.*

APON, ἄρον τὸ ἀρίστερον græcè, Arum & Aris latinè dicitur. Officinę corrupto, ut ſolent, uocabulo Iarum appellãt. Quidam, quod folium effigie bubuli ueſtigij prodeat, Pedem uituli uocarunt. Alij, quod dracunculũ æmulatur, ſola magnitudine diſcrepans, Serpentariã minorem appellant: neq; id ſanè temerè. Videtur enim Aron eſſe Dracunculus minor, cui Dioſcorides folia κιονοειδῆ, hoc eſt, Hederę ſimilia eſſe dicit, quę prorſus Ari ſunt, niſi quod paulò ſint longiora. Plinius etiam Aro eas facultates tribuit, quas Dioſcorides Dracunculo minori. Vt hinc conijcere liceat, Arum cum Dracunculo minori miſcuiſſe ueteres.

Sacerdotis uirile.

Vulgus, quod piſtillum promit exerti ferè genitalis effigie, Sacerdotis uirile nominat. Id quod & Germani noſtri faciunt, qui ſua lingua Pfaffenpint nuncupant. Aliàs Aron, & ob uehementem acrimoniam, teütſchen Jngber uocant.

FORMA.

Folia emittit Dracunculo ſimilia, ſed longiora & minus maculata: caulẽ dodrantalem, purpuraſcentẽ, piſtilli figura, à quo croci colore fructus exit. Radix illi candida, Dracunculo ſimilis, quę quod minore acrimonia eſt, cocta comeditur. Hę uticq; deliniationes ad amuſſim, nulla reclamante nota, noſtro Aro cõueniunt. Siquidem folia promit Dracunculi, longiora, & pauciorib. maculis reſperſa, caulem dodrantem altum, in purpuram leniter tendentem. Ante ſeminis partum, ſagaci naturę artificio dignum, erumpit inuolucrum & cucullum, quod mucronata in turbinem uaginula piſtillum complectitur, & ſuo fouet ſinu. Verum ubi fructu prægnans fatiſcit in hiatum, ſolida piſtilli facies dilutiore purpura rutilans emergit, & anfractu penitus tandem patente, primum uiridia, dein crocea ſpectantur ſemina, quæ in coronæ modum concinnè contexta, imam eius partem ambiunt. Radicem etiam obtinet albam, ad Dracunculi radicem accedentem, ut pictura graphicè monſtrat. Neque obſtat quod Galenus radicem Ari elixam mandi ſcribat, noſtri autem tam acris ſit ut uix guſtari ob miras & diutinas, quas in lingua ac palato excitat puncturas, poſsit, tantum abeſt ut edendo eſſe queat. Siquidem Galeno libro ſecundo de alimentorum facultatib. teſte, non parem in omnibus regionibus acrimoniam obtinet, ſed in nonnullis minimam, ut Cyrenis. Et Plinio quoque

Obiectionis diſſolutio.

lib. xix.

LEONHART FUCHS De Historia Stirpium Commentarii Insignes BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRARY